

TITULUS VII.

DE MISSARUM STIPENDIO.

788. — Nihil est immutandum circa stipendium ordinarium Missae apud nos receptum.

889. — In Ecclesiis Cathedralibus standum regulis suarum constitutionum.

790. — Stipendia vero missarum, quae ab hora nona ad duodecimam celebrari solent, sive diebus de praeepto sive communibus, haec proportio omnino servetur scilicet, ut ordinario missae stipendio dimidia pars addatur pro singulis horis ab hora nona usque ad meridiem.

791. — Missarum vero solemnium vel exequiarum, vel in pagis dissitis aliarumve eiusmodi, stipendium directorio vel consuetudine legitime moderentur, donec Episcopi aliter provideant.

792. — Quoad Missas diei Nativitatis Domini et Commemorationis omnium fidelium Defunctorum standum omnino tenori privilegii et iuris communis (Const. *Trans Oceanum* Leonis XIII).

793. — Pro secunda et tertia missa, quae a nonnullis ex Apostolico indulto celebrantur, exclusa omnino qualibet eleemosyna pro applicatione Missae, taxatio consueta accipi potest pro laboris remuneratione. (S. C. C. 25 Sept. 1858 et 23 Maii 1861).

794. — Nemini liceat stipendium missarum immutare.

PARS V.

TITULUS UNICUS.

DE IUDICIIS ET POENIS.

795. — In causis matrimonialibus fideliter serventur praescriptiones Benedicti XIV in Const. *Dei miseratione* et Instructionis S. C. C. 22 Aug. 1840 (1).

796. — Quando agitur tantum de matrimonio rato et non consummato prae oculis habeatur declaratio eiusdem S. C. C. 16 Iun. 1894 in Varsavien. (2).

797. — Rigor citatae Const. Benedicti XIV remitti potest in casibus tantum a S. Officio designatis die 6 Iun. 1889 (3).

798. — In causis clericorum Episcopi diligenter servare curent Instructionem S. C. Episcoporum et Regularium 11 Iun. 1880 (4).

799. — Quoad appellationes serventur Constitutiones Benedicti XIV *Ad Militantis Ecclesiae* 30 Martii 1742, et *Trans Oceanum* SS. D. N. Leonis Papae XIII, 18 Apr. 1897. (5).

800. — In causis quae respiciunt Const. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae* secretum inviolabiliter ser-

(1) V. App. n. 15 et 16.

(2) V. App. n. 17.

(3) V. App. n. 18.

(4) V. App. n. 19.

(5) V. App. n. 20.

vetur, et omnia fiant ad normam Instructionum S. Officii 20 Febr. 1867, 20 Iul. 1890 et 6 Aug. 1897 (1).

801. – Circa suspensiones ex informata conscientia sequantur Episcopi normas a S. C. de Propaganda Fide editas d. 20 Oct. 1884 (2).

802. – Praeter censuras generales per Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* aliasque Apostolicas praescriptiones, promulgatas, speciales pro nostra Provincia sui locis inveniuntur.

(1) V. App. n. 21.

(2) V. App. n. 22.

DE HUIUS CONCILII DECRETIS

TITULUS UNICUS.

803. – Acta et decreta huius Concilii Provincialis Mexicani Quinti mittantur Sanctae Sedi Apostolicae pro revisione et recognitione.

804. – Semel ac obtenta fuerit praedicta revisio, acta et decreta huius Concilii a Metropolita quamprimum et a singulis Episcopis infra sex menses sive in Synodo Dioecesana sive extra Synodum promulgentur. Et semel promulgata fideliter ab omnibus servantur. (cfr. Decr. S. Officii 30 Sept. 1896) (1).

805. – Ex tenore Brevis Sixti V super Conc. Mexicanum III declaramus decreta omnia et statuta singula, quae in hoc Concilio V confirmata expresse non inveniuntur, prorsus abrogata et nullius roboris habenda esse (2).

806. – Grato animo accipimus privilegia a SS. D. N. Leone Papa XIII per Const. *Trans Oceanum* dioecibus Americae Latinae concessa. Indulta peculiaria a S. Sede obtenta sive ad tempus sive in perpetuum sedulo servantur in authenticis documentis, ne eorum conditiones, limitationes, tenor etc. praetermittantur. Et quoties agatur de aliquo usu vel consuetudine decretis S. Sedis quomodolibet contraria, Episcopi illam

(1) V. Append. n. 23.

(2) V. Append. n. 24.